

praecipue agatur de damno, quod alteri non subdito (21) illatum est. Ratio est, quia qualitas Superioris *per se* non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat. — Lugo — Gousset, contra *alios*. — Vide S. Lig. n. 578.

QUAER. 4^o *An maritus teneatur de damnis ab uxore illatis, quae ipse non impedit?*

Resp. In foro *interno* de uxore dicendum videtur, quod de filiisfamilias aliisve subditis in Resp. 2^o praec. dictum est. Hinc *probabiliter* ad nihil tenetur ex mero silentio, etiam graviter culpabili. In foro autem *externo* nihil in Iure Romano, neque in Iure Gallico statuitur.

693. — QAER. 5^o *An consiliarius teneatur ad restitutionem, si per omissionem suffragii iniustae sententiae non obstiterit?*

Resp. *Affirm.*, si suffragium ferre debeat *ex officio*, quia officium ex iustitia adimplendum est saltem communiter loquendo, et seclusa iusta causa. *Neg.* autem, si ius suffragii habeat *ex privilegio*, seu ex mero favore; tunc enim potest absque iniustitia suffragium omittere. — Lugo, D. 19. n. 61. et seq. — Vogler, n. 304.

QUAER. 6^o *An teneatur ad restitutionem, qui accepit pecuniam a fure ut taceat, si ex officio clamare non debeat?*

Resp. *Neg. probabilius*, saltem *per se*. Ratio est, quia tacere posset ob preces furis absque iniustitia, siquidem clamare ex iustitia non tenetur. Ergo *a pari* ob munera promissa vel tradita tacere potest absque iniustitia. — Lugo. — Tamburinus, etc. — Secus autem dicendum esset, si pecuniam acciperet, ut observet, num quis adveniat; quia tunc furto positive cooperaretur.

QUAER. 7^o *An custodes non denuntiantes damnificatores teneantur compensare omnia damna et etiam solvere mulctam?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, *per se*, quia ad damna impedienda constituuntur: excipe, si agatur de rebus levioris momenti, pro quibus, ex consuetudine et praesumpta domini voluntate, sufficit secreta admonitio.

Resp. ad 2^{um} *Neg. probabilius* ob praxim contrariam, cui communis sensus concordat. — Lugo. — Lessius. — Vogle, etc. Idem dicendum de iudice non procurante damni compensationem, vel mulctam punitivam non exigente. Attamen si apud iudicem facta fuerit damnificatoris denuntiatio, ille ad puniendum, et ad damni reparationem tenetur. — S. Lig. *Hom. apost. tract.* 13. n. 73. — V. *Casus*, n. 681. et seq.

(21) At etiamsi damnum illatum foret subdito, inspiciendum foret, an Superior ex debito iustitiae sibi assumat damna subditorum suorum impedienda.

CAPUT III.

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS

Praecipuae circumstantiae restitutionis hoc versu habentur:

Quantum restitues? cui? quo ordine? quomodo? quando?

ARTICULUS I. — QUANTUM SIT RESTITUENDUM?

694. — *Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei acceptae, vel ex quantitate damni illati, aut influxus in iniuriam proximi.*

Cum speciales difficultates de sola *solidaritate* occurrant, de ea solum specialiter agemus.

De solidaritate.

DEFINITIO. Solidaritas, seu obligatio restituendi *in solidum*, est onus incumbens singulis cooperatoribus integrum damnum illatum reparandi.

DIVISIO. Duplex distinguitur solidaritas, scilicet 1^o *absoluta*, quae locum habet, quando quis tenetur totum damnum reparare; 2^o *conditionata*, quando singuli cooperatores restituere tenentur pro aliis cooperatoribus deficientibus.

695. **Principia.** — I. Quilibet ex cooperatoribus concurrens efficaciter ad damnum, ita ut hoc *totum ei moraliter adscribi possit*, tenetur ad restitutionem in solidum, idest in integrum, sive absolute, sive saltem conditionate. Ratio est, quia quilibet est causa efficax et iniusta totius damni, et proinde totum reparare debet. — Vogler, n. 342. et alii *communiter*.

II. Alicui autem cooperatori *totum damnum adscribi potest* certo in casu duplici, scilicet 1^o *quoties illius cooperatio est necessaria*, licet non sufficiens, ad totum damnum inferendum; v. gr. si praebes suffragium necessarium ad iniustam sententiam; 2^o *quoties cooperatio fit ex conspiratione efficaci*, qua damnificatores ita se efficaciter ad damnum excitant, ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret. — S. Lig. n. 579. — Lugo...

III. Quicumque est causa principalis damni, tenetur restituere in solidum *absolute*; caeteri autem cooperatores aequales, vel causae secundariae, *conditionate* tantum tenentur. Ratio est, quia principali agens, uti mandans, dux, etc., ipso facto in se suspicit absolute totum onus damni reparandi cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis nisi velut instrumentis ad proximum damnificandum. Quinam autem dici debeat causa principalis, dicitur *infr.* n. 702.

Quoad causas vero secundarias merito monet S. Lig. *Hom. Apost.* n. 54., in praxi raro expedire rudes monere seu obligare ad totum damnum reparandum, licet certo teneantur in solidum; quia isti non facile sibi persuadent se teneri ad restituendam etiam partem ab aliis ablatam vel destructam.

696. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An tenearis IN SOLIDUM in dubio an influxeris in totum damnum?*

Resp. Neg. probabilius cum sententia communi, quia onus certum imponi nequit pro incerta obligatione. — S. Lig. n. 579. etc.

QUAER. 2^o *An tenearis IN SOLIDUM in dubio, an alii suam partem pro rata restituerint?*

Resp. Neg. probabilius, si facta diligenti inquisitione dubium perseveret; quia cooperator non tenetur ad aliud praeter partem suam, nisi in defectu alterius; et si dubium sit de illo defectu, dubium est de obligatione. — Roncaglia, Salmant., etc. contra alios.

QUAER. 3^o *An detur obligatio restituendi IN SOLIDUM, ubi cooperatio influit quidem in totum damnum rei individuae, sed non est de se sufficiens, nec necessaria, neque procedit ex conspiratione stricta v. gr. si quatuor asportent trabem, quam tres etiam asportassent?*

Resp. Neg., quia cum tota ratio obligationis sit influxus in damnum, illa non debet esse maior quam ipse influxus. Aliunde qui concurreret ad partem damni licet cum aliis concurreret ad totum damnum (1), sane ad totum restituendum non teneretur; ergo, *a pari*, qui concurrat partialiter ad damnum individuum, partialiter tantum ad damni reparationem tenetur, quia causam partialem posuit. — Lugo, D. 19. n. 82. — Vogler, n. 343, — S. Lig. *hoc dicit probabile*, n. 579.

697. — QUAER. 4^o *An tenearis IN SOLIDUM, si actio tua fuit quidem sufficiens ad totum damnum inferendum, sed minime necessaria, neque ex conspiratione processit, v. gr. si ignem domui alienae simul cum pluribus aliis apposueris?*

Resp. Controvertitur. Affirmant probabiliter, imo et *probabilius* non pauci, quia ubi actio tua fuit *sufficiens* ad effectum damnosum, reapse totum damnum moraliter tibi et singulis aliis est adscribendum. Roncaglia, Salmant., etc. — *Negant* vero alii *probabiliter*, quia licet actio damnificativa sufficiens fuerit ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud, cum nec fuerit necessaria, neque communis

(1) Sensus est: si quis opere suo concurrat tantum ad partem damni, v. gr. vastationis horti, ad totum autem damnum eatenus cum aliis concurrat, quatenus reliqua horti pas vastata ab aliis iam fuerat,

ipse autem quod integrum ab illis relictum reperit, hoc pessumdet; hic sane non tenetur reparare nisi partem damni, cuius auctor fuit.

cum aliis ex conspiratione. Ergo non est causa moralis totius damni. Nec refert quod de re *individua* agatur; quia cooperatio ad totum damnum non extenditur. Attamen id intellige, quoties sine tuo concursu damnum nihilominus evenisset; secus enim etiam actio tua ad illud necessaria dicenda foret. — Sporer. — Navarr. etc. — Utramque sententiam probabilem habet S. Lig. 579. et *Hom. apost.* n. 55.

698. **Resolves.** — 1^o Si quis ex cooperatoribus totum damnum reparaverit, alii liberantur ab omni debito erga creditorem; sed ille, qui totum restituit, recursum habet contra alios damnificatores aequae obligatos, ut ratio perspicua demonstrat (2).

2^o Si furi, qui propter efficacia motiva iam omnino determinatus est ad furandum, suggeras novum motivum, quod stimulum ei addat, non teneris, deficientibus caeteris cooperatoribus, totum damnum resarcire, quia motivum tuum in damni substantiam non influxit.

3^o Imo *probabiliter* ob eandem rationem nihil refundere debes ex iustitia, si tantum inducas alium, ut aliquanto citius aut alacrius damnum inferat. — V. *Casus*, n. 693.

ARTICULUS II. — CUI SIT RESTITUENDUM?

699. — 1^o Restituendum est domino certo et noto, quoties absque gravi difficultate et alterius iniuria fieri potest, nec alia adest causa a restitutione excusans. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 64.

2^o Qui subduxit rem apud alium depositam, vel locatam aut commodatam, non domino, sed ipsi possessori restituere debet. Possessor enim sine iniuria privari nequit iure custodiae, usus, vel possessionis, nisi ipse consentiat. — *Hom. apost.* *ibid.*

Quid autem agendum est, si dominus sit dubius, aut incognitus vel si, licet cognitus sit, adiri non possit? Haec tenenda videntur:

1^o Si post diligentem inquisitionem dubius sit dominus; vel dubium vertitur inter paucos, vel inter multos. Si prius, ipsis pro rata restituendum est, vel ad compositionem inducendi sunt domini praesumpti. Si posterius v. gr. quia aliquis vendens in aliqua civitate defraudavit multos in pondere vel pretio, restitutio facienda est augendo eodem modo pondus vel mensuram, aut pretium minuendo erga ementes ordinarios qui damnificati praesumuntur, si facile fieri possit; secus restitutio pauperibus facienda est. — *Hom. apost.* *ibid.*

2^o Si dominus sit plane incognitus, vel si, licet cognitus, moraliter tamen neque immediate neque mediate adiri queat, distinguendum est;

(2) Haec resolutio intelligenda est de iis cooperatoribus, quorum quisque pro sua rata tenetur. Vid. *infr.* dicenda art. III.

vel enim res aliena bona fide acquisita possidetur, vel mala. Si bona, tunc agendum est ut in rebus nuper amissis, quarum dominus inveniri non potest (vide supra, n. 378.), et proinde vel in causas pias erogandae, vel etiam a possessore retineri possunt. Si vero mala fide, possessor tali re omnino se expoliare debet, atque in opera pia aut communi bono utilia impendere. Nefas enim est malitiam furi aut malae fidei possessori prodesse. — *Hom. apost.* n. 67. 69.

700. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An quando creditor tuus coactus fuit cessionem bonorum facere, ipsi vel eius creditoribus restituere debeas?*

Resp. Generatim loquendo, creditori tuo restituere non debes, sed creditoribus eius debitum tuum est a te manifestandum (3). Ratio est, quia licet creditores cedentis bona dominium directum in illius bona non habeant, iure tamen stricto gaudent, ut ex illis bonis indemnes serventur. Attamen quandoque posses tuo creditori restituere, v. gr. si debitum sit exiguum, si probus sit, et credas illum esse creditoribus restitutum; item si versetur in gravi necessitate, et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam, quia, ut docent communiter theologi, bona cedens potest subducere ea, quae ad vivendum omnino necessaria sunt. — *S. Lig.* n. 699. — *Gousset*, n. 772.

701. — **QUAER.** 2^o *Cuinam restituere debeat debitor EX DELICTO, si dominus laesus inveniri nequeat?*

Resp. Iuxta communem sententiam restituere debet pauperibus, vel causis piis. Ratio est, quia ex sensu communi dominus incognitus per pauperes vel pias causas censetur repraesentari; praesumitur enim talem esse eius voluntatem, quoties rem suam iniuste ablatam vel damnificatam recuperare nequit. — Ita *S. Thom.* 2. 2. qu. 62. art. 3., etc. De hoc certo constat ex *Iure can.* quoad lucrum usurarium et simoniacum. Videtur etiam lex canonica ex consuetudine ad caeteros casus extendi: *Consuetudo autem optima est legum interpret.* Apparet igitur circa hoc ius quoddam gentium introductum esse.

Dicunt quidam, debitorem posse ea impendere in utilitatem quamlibet publicam etiam profanam. Verum in praxi consuetudini generali

(3) Inspiciendum videtur, penes quem post factam bonorum cessionem administratio et custodia eorumdem maneat. Huic enim uni restitutio seu debitorum solutio fieri potest et debet, adeo ut, si alteri fiat, valida non sit, pereatque solventi, si forte res tradita ad manus administratoris non perveniat. Quod vero creditores illius, qui bonis cessit, moneantur, ad charitatem

forte pertinere poterit, non autem ad iustitiam. Verum A. loqui videtur de creditis, quae ab eo, qui bonis cedit, occulta serventur. Et tunc utique huic fraudi cooperarentur illius debitores, qui, cognita bonorum cessione, ipsi debitum solverent; quocirca et in foro conscientiae tuti non forent, et conveniri in foro externo ad iterum solvendum possent.

standum est. Nunquam autem possessor malae fidei, neque damnificator iniustus debitum retinere potest praetextu quolibet, etiam paupertatis (4), quia nemo ex malitia suo commodum reportare debet, ut iam dictum est supra n. 699. Unde sola ratione impotentiae, et ad tempus excusari posset. Neque debitor ille obligationi satisfaceret, si alicui privato non pauperi restitueret.

ARTICULUS III. — QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM?

Ordo restitutionis spectari potest tum ex parte eorum qui restituere debent, quando plures in idem damnum cooperati sunt, tum ex parte eorum quibus restituendum est.

§. I. De ordine restitutionis inter cooperatores.

702. — Ad ordinem restitutionis *in solidum* assignandum inter cooperatores in damnum alienum, inspiciendum est, num damni causa sit *principalis*, seu primaria; utrum *secundaria*, seu subordinata; an denique *collateralis*, seu aequalis. Cooperatores enim in damnum concurrere possunt vel eodem modo seu gradu, vel modo diverso.

Principia. — I. Si omnes *eodem modo* concurrerint, singuli aequaliter *in solidum conditionate* restituere debent, absque ullo ordine determinato, quia nemo eorum maius periculum suscepit. Dixi, *conditionate* id est, quando caeteri cooperatores non restituerent, vel nullus *in solidum* solveret. — *Vogler*, n. 381., etc.

II. Si *diverso modo* concurrant, distingues iterum: nam vel ex furto, vel ex mero damno restituendum est.

Si *ex furto*, primo loco tenetur possessor, qui rem habet in individuo vel in aequivalenti, vel qui illam iniuste consumpsit; deinde mandans, vel raptor, si mandans desit; tertio tenentur caeteri cooperatores positivi; tandem cooperatores negativi.

Si vero *ex damno*, tenetur primo mandans, ut causa principalis; secundo executor, etiamsi nomine *mandantis egerit*, quia relative ad alios iuxta communem sententiam est causa principalis; deinde caeteri cooperatores positivi; demum cooperatores negativi. — *Vogler*, etc. *S. Lig.* n. 380; *Hom. apost.* n. 60.

703. **Resolves.** — 1^o Ad nihil tenentur causae secundariae si causa principalis restituerit aut remissionem debiti obtinuerit; causae enim

(4) Cum A. dicit, *paupertatis praetextu*, intelligendus est de *ficta paupertatis causa*. Nam, ut inquit Card. De Lugo (*De Iust.* disp. 20. n. 8.), *si debitor, debens aliquid creditori incerto, atque*

adeo debens illud dare pauperibus, sit ipse vere pauper, potest ei applicari. Quod quidem valere etiam de debitis *ex delicto, furto, rapina, et similibus*, ipse Lugo (*ibid.* n. 6.) aperte indicat.

secundariae tantum tenentur in defectu causae principalis, cuius obligatio cessavit. — S. Lig. n. 581.

2^o Si una ex causis minus principalibus restituit, causa principalis tenetur eam indemnem facere, quia minus principalis ius creditoris contra principalem acquirit. — S. Lig. ibid.

3^o Si creditor solvat ab obligatione causam secundariam, non ideo liberatur causa principalis, quia obligatio principalis causae est independens ab obligatione causae secundariae. Imo quamvis uni e secundariis creditor remittat, non ideo liberae sunt aliae causae secundariae ab obligatione suam partem restituendi, nisi condonatio fuerit omnino plena, vel talis merito praesumi possit. — Lugo. — Vogler. — S. Lig. ibid. — Excipe ex Iure Gallico, si debitum sit ex contractu (art. 1285.).

4^o Si una ex causis aequaliter obligatis totum debitum restituerit, aliae tenentur ei partem rependere, quia quisque pro rata suae culpae satisfacere debet (5). Quod si unus non posset aut nollet suam partem restituere, caeteri eam inter se dividere debent.

5^o Consilens vel consentiens non tenetur *per se* ante executorem; hic siquidem prior tenetur, quia executor, deficiente mandante, est causa principalis damni (6). — V. *Casus*, n. 695. et. 697.

§. II. De ordine restitutionis quoad creditores.

704. — Agendum hic est de solo casu, in quo debitor ad satisfaciendum omnibus suis creditoribus impar est; alias enim nullus ordo in solvendis debitis necessario servandus est.

Creditorum autem sunt 1^o alii *privilegiati*, qui ex legis positivae privilegio ius habent debitum suum ante alios repetendi; 2^o alii *hypothecarii*, qui ex titulo *hypothecae* seu *assecuracionis* in bonis debitorum fundatae ius habent solutionem obtinendi statim post creditores privilegiatos; 3^o alii *communes*, qui nullo privilegii aut hypothecae beneficio gaudent.

705. **Principia.** — I. Ante omnia solvi debent debita privilegiata. Sic ex Iure Rom. et Gall. Debita autem privilegiata sunt v. gr. impensae quae dicuntur *iustitiae*, tum etiam expensae funebres, stipendia medicorum et famulorum pro anno currente et praecedenti debita pro cibis a sex ultimis mensibus. — C. C. 2101. (7).

(5) Id manifeste patet, si istae causae sunt aequae omnes primariae; si vero sint secundariae, id valet, si principalis (una vel multiplex) causa non restituit.

(6) Hoc verum est, quando consilium est utile soli executori. Nam si utile sit solum consulenti, hic tenetur primus, et

executor solum in illius defectu. Si vero utrique pariter utile sit, aequae primi censentur ambo pro rata, et in solidum in alterius defectu.

(7) Pauca haec A. memorat, utpote quae caeteris itidem privilegiatis praeferruntur. Ast alia sunt debita privilegiata

II. Secundo loco satisfaciendum est creditoribus hypothecariis, servato temporis ordine, iuxta regulam 54 Iuris in 6^o: *Qui prior est tempore, potior est iure.*

III. Demum tertio loco solvi debent debita communia, utpote nullum ius praelationis habentia.

Ex Iure Romano res aliena apud debitorem existens, v. gr. in deposito, locato, etc., ante omnia debita quantumvis privilegiata restitui domino suo debet; res enim illa in specie existens *domino clamat*. Item res empta ad creditum, non soluto pretio, si adhuc in sua specie exstet (8). Ex Iure autem Gallico res vendita non soluto pretio repeti potest intra octo dies (*) a traditione tantum, sed eius pretium semper est privilegiatum. — C. C. 2102. (9).

706. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An debita ex delicto sint solvenda ante debita ex contractu?*

Resp. Neg. probabilius, sed omnia aequae solvenda sunt pro rata, quia nullo iure constat, priora posterioribus esse praeferrenda. — S. Lig. n. 688.

QUAER. 2^o *An debita ex titulo oneroso solvi debeant ante debita ex titulo gratuito?*

Resp. Affirm., quia qui gratuito promittit, apponit semper tacitam conditionem: *si commode praestare valeam*; nec gratis bona expendere potest cum praepudicio creditoris ex delicto vel ex contractu. — S. Lig. n. 689. — Lugo. — Lessius. — Billuart.

QUAER. 3^o *An creditores pauperes divitibus necessario praeferrantur?*

Resp. Neg., nisi sint in extrema necessitate, quia nullum ius praela-

tum in bona debitoris *mobilia*, tum in *immobilia*; de quibus consulat quisque oportet patrios codices, etiam ut noverit, quo sese privilegia eiusmodi protendant. Nam quod v. gr. A. iuxta codicem gallicum innuit de credito famulorum *pro anno currente et praecedenti*, aut pro cibis *a sex ultimis mensibus*, non ubique servatur.

(8) Contractus venditionis ex iure romano seu communi, etsi pretio nee dum soluto res tradita fuerit, duplicem admittit hypotheseim, domini scilicet in emptorem modo translato, modo non translato. Nulla porro est controversia, quando rei dominium translatum non fuerit; certe enim res domino, venditori nempe, restitui debet.

At si domini translatio facta fuerit, et nihil de hoc casu leges cuiusque loci propriae definiant, aut iudicis sententia decreverit, Confessarius nec prohibere potest, quominus venditor sibi rem suam vindicet, nec iterum praecipere aliis, ut rem venditori cedant. Ratio est, quia pro utraque opinione probabiles rationes militent, nec confessarii est cogere quempiam ad alteram opinionem sequendam. Vid. S. Alphonsus, lib. 3. n. 685.

(*) Codex italicus dies 15. concedit pro vindicatione rei mobilis art. 1513. sed de privilegio pretii nihil decernitur.

(9) Codex Gallicus hoc loco de bonis dumtaxat *mobilibus* decernit.